

QK
514
23

Yb
2065

PROLVSIO
DE
DOCENDI RATIONE
SOCRATICA INSTITVTIONI
IUVENVM IN SCHOLIS PERQVAM
ACCOMMODATA.

PRAEMISSA
DECLAMATIONIBVS VI.
IN ILLVSTRI
SCHOLA ELECTORALI GRIMANA

A. D. XIV. SEPTEMBR.
IPSO DIE SCHOLAE NOSTRAE NATALI
HORA IX. HABENDIS
AD QVAS AVDIENDAS QVAM HVMANISSIME
INVITAT
IOANNES TOBIAS KREBS
RECTOR.

LIPSIÆ
LITTERIS BREITKOPFFIS.



PROLOG

LE

DOCTEUR EN MÉDECINE

BOURNAIS

UNIVERSITÉ DE STRASBOURG

1850

BOURNAIS

BOURNAIS

1850

BOURNAIS


BOURNAIS

BOURNAIS





DE
DOCENDI RATIONE SOCRATICA
INSTITVTIONI IUVVENVM IN SCHOLIS
PERQVAM ACCOMMODATA.



Graues sunt, eaeque non vanae omnium virorum bonorum, salutisque publicae amantium querelae de moribus corruptis, nostra aetate magis magisque inualefcentibus, et indies latius serpentibus, quorum veluti contagione pestifera multorum animi rudes adhuc et integri sensum infecti corrumpantur. In hac autem tam communi querela vna omnium et consentiens virorum sapientum vox est, huius mali publici, capitalisque pestis causam repetendam esse ab educatione tenellae adhuc aetatulae, male peruersae institutae, et a disciplina, paulo seueriori illa quidem, prudenti tamen et liberali neglecta, cuius tanquam fraenis liberorum animi teneri adhuc, et ad ducendum sequaces regundi sint, inque officio continendi. Hinc tantum prouentum eorum librorum aetas nostra tulit, qui de prudenti, honestaque iuuentutis educatione et institutione exponunt, eiusque vtilitatem latissime patentem, necessitatemque adeo parentibus, et omnibus omnino, qui vicem eorum munusque sustinent, diligentissime commendant, et suum cuique officium grauissime iniungunt. Sed his libris omnibus, praeceptisque saluberrimis parum hucusque effectum esse, cum res ipsa loquatur, probatione nulla

indiget: nec forte vlla spes est, aliquid vel ob consuetudinem inueteratam, diuturnitateque temporis corroboratam, vel ob blandam multorum patrum focordiam, crudelēque matrum indulgentiam, vnquam iri effectum. Enimvero, si quid est, cuius diligentissimam, maximeque sollicitam curam parentes habere, in quo dies noctesque fere cogitationes defigere debeant, est sane prudens, honesta, liberalisque liberorum educatio et institutio. In hoc omnium cum sapientum, tum legislatorum vnanimis consensus, et amica opinionum conspiratio animaduertitur, ab hac liberorum educatione et institutione regnorum, imperiorum, Rerumque publicarum florem, securitatem, salutemque pendere. Socrates quidem apud *) PLATONEM de hac re in sententiam disputat hanc, vt dicat, primordium Reipublicae feliciter, et e salute communi administrandae ducendum esse ab honesta, liberalique iuuentutis educatione et institutione. Sed totus ille locus nimis elegans est, quam qui huc in gratiam lectorum intelligentium, non sit transferendus: Κινδυνεύει σοφός τις (Μέλιτος) εἶναι· καὶ τὴν ἐμὴν ἀμαθίαν κατιδὼν, ὡς διαφθερόντος τὸς ἡλικιώτας αὐτῆ, ἐρχεται κατηγορήσων με, ὥσπερ πρὸς μητέρα, πρὸς τὴν πόλιν· καὶ φάσεται μοι τῶν πολιτικῶν μόνος ἀρχεῖν ἀρχεῖν ὀρθῶς· ὀρθῶς γάρ ἐσι τῶν νέων πρῶτον ἐπιμεληθῆνα, ὅπως ἔσονται ὅτι ἀριστοί, ὥσπερ γεωργὸν ἀγαθὸν τῶν νέων φυτῶν εἰκὸς πρῶτον ἐπιμεληθῆναι, μετὰ τῆτο καὶ τῶν ἄλλων· καὶ δὴ καὶ Μέλιτος ἴσως πρῶτον μὲν ἡμᾶς ἐγκαθαίρει, τὸς τῶν νέων βλάσας διαφθερόντας, ὡς φησὶν· ἔπειτα μετὰ τῆτο δηλονότι τῶν πρεσβυτέρων ἐπιμεληθεὶς, πλείστον καὶ μεγίστον ἀγαθὸν αἴτιος τῇ πόλει γενήσεται. Ὡς τὸ εἰκὸς συμβῆναι ἐκ τοιαύτης ἀρχῆς ἀρξομένῳ· Perquam sapiens esse (Melitus) videtur. Nam, malitia mea animaduersa, quasi ego ipse aequalis corrumpere, prodit me accusaturus apud ipsam ciuitatem, tanquam apud matrem. Et mihi videtur solus praefectorum reipublicae administrandae eam recte administrare. Consentaneum enim est, primam, antiquissimamque curam haberi hanc, vt iuuenes quam optimi euadant: quemadmodum agricolam decet, nouellarum plantarum primam curam habere, tum vero de caeteris curandis rationes inire. Et certe, Meliti hoc est consilium, vt nos, qui teneras iuuenum veluti plantas, vt ipse ait, corrumpimus, quasi sarriat, et expurget, post haec.

*) in Euthyphron. p. 2 sq. Edit. Stephan.

haec vero curam seniorum gerat, maximorumque bonorum auctor huic civitati existat. Tanta commoda e tali primordio praeferre possumus. Et *) alio PLATONIS loco idem Sapiens, se nescire, ait, qua de re virum prudentem magis sollicitum esse deceat, quam de hac, ut filius ipse quam optimus evadat. Cum autem, ut egregie Socrates apud **) PLATONEM disputat, duo vitia, et animi quasi morbi hominibus innati deprehendantur, quorum alter *κακία* f. improbitas, alter autem *ἀμαθία* f. ignorantia dicatur, utriusque autem, quantum quidem fieri possit, depellendo, et cum ipsis quasi fibris euellendo sollicita cura, assiduaque diligentia adhibenda sit: facile intelligi potest, cum omnibus omnino, quibus educandae, instituendaeque iuuentutis cura demandata est, tum imprimis scholarum magistris duplicem quasi personam impositam esse, alteram, ut in ista improbitate, e iuvenum animis tollenda et extirpanda laborent, alteram, ut, ignorantiae tenebris discussis, eorum ingenium literarum diuinarum, humanarumque cognitione excolant, et indes magis magisque doctrinae cultu perpolire studeant. Sed quemadmodum de priori illo scholae magistrorum munere, quod in iuvenum animis ad pietatem, honestatemque morum fingendis cernitur, alio tempore exposuimus: ita forte operam non lusisse videamur, si de altero, quod ad ingenia commissorum iuvenum doctrinae ope excolenda, humanitatisque pastu quasi alenda spectat, hac prolusione pro angustis, quibus includenda est, terminis disputemus. Nam, cum instituendi, docendique iuvenes ratio in scholis magna educationis publicae, scholarum magistris commissae, sit pars, plurimumque referat, quibus sensibus, quibus opinionibus, praeceptisque teneri adhuc et rudes iuvenum animi imbuantur, et qua via ingenia ad cognitionem literarum diuinarum, humanarumque ducantur, docendi ratio autem Socratica huic rei perquam accommodata nobis videatur: rem suscepturos nos esse existimauimus neque a munere nostri professione, neque a solennitate huius diei alienam. quo memoria illustri Moldani nostri, ante hos CCXVIII annos aperti et constituti, grata, piaque mente recolenda est, si de ratione

A 3

docen-

*) in Theage p. 21. et 127. cf. eundem in Phaed. p. 107.

**) in Sophista p. 227 sqq.

docendi Socratica, institutioni iuuentutis in scholis perquam accommodata paucis exponeremus.

Duo omnino sunt instituendae, docendaeque iuuentutis, literarum studii consecratae genera, continuum alterum et perpetuum, quo res cognitu vtilis et necessariae vno quasi orationis, disputationisque filo connexae traduntur ita, vt iste disputationis cursus aliqua interpellatione impeditus nunquam retardetur, atque adeo discipulorum non nisi hae partes sint, vt, quae traduntur, attentis auribus, animisque, aut calamis etiam *) excipiant: alterum autem, quo res discipulis proponendae ita traduntur, vt oratio subinde interrogationibus docentis, responsionibusque discipulorum varietur, adeoque vox docentis, attentione, intelligentiaque discipulorum exploranda, interdum conticescat.

Iam, quemadmodum prius illud docendi genus doctoribus Academicis accommodatissimum et est, et habetur: ita hoc saluberrimum, iuuentutisque in scholis instituendae rationibus conuenientissimum esse existimamus. Nam, qui alterum illud genus, quod in Academicis obtinet, in scholis etiam vsurpant, id fere faciunt, commoti vana quadam magnae, variaeque doctrinae ostendendae cupiditate (*ambitum intelligendi* **) QVINTILIANVS vocat) rati, se ea re magnam de se, doctrinaeque sua opinionem apud imperitos fere iuuenes excitare, et, de horum quidem sententia, in censum Virorum, varie, exquisiteque doctorum referri posse. Mirifice enim delectantur nonnullorum scholae magistrorum blandae auriculae, cum has discipulorum suorum voces ad se deferri audiunt: *Bone Deus! quam docte hic, quam exquisite, quanto variae doctrinae apparatu docet! quam multa, quam egregia et selecta, calamis excipienda, et in Commentariola nostra referenda, nobis quotidie dictare solet! Haec vero sunt mere realia, non inanes verborum nugae.* Alii autem hoc docendi genere in scholis vtuntur ista vanitate doctrinae ostendendae non commoti, sed laboris fuga, taedioque operae, collocandae in eo, vt antea cogitando, legendoque persequere ea, quae faciant ad praelectiones e re, vtilitateque iuuenem habendas. Nam res facillimi negotii est, nec

*) Hoc docendi genere qui vtitur, is PLATONI in Sophista p. 217. αὐτὸς ἐφ' ἑαυτῆ μακροῦ λόγου διακρίνας, nec non κατ' ἑαυτὸν διαλεγέμενος dicitur.

**) Instit. Orator. 12, 100.

nec homini desidi etiam grauis, vel ex allatis plagulis, quas olim dictatis in Academia exceptis repleueris, vel e Commentariolis, quae ipse per otium in aliquam disciplinam, aut vnum aliquem graecum, latinumque auctorem, acerbissimas per librorum indices exactiones instituendo, aut Lexicorum open misere efflagitando et emendicando, confeceris, vnam et item alteram horulam perdere (consumere volebam dicere) dictando discipulis in calamos vnam eandemque rem, bis terue, facta respiratione commoda, repetitam, et ex eo Commentariolo ea praelegere et quasi decantare ita, vt iste libellus confarcinatus *Praeceptoris*, Praeceptor autem non nisi *Lecltoris* munere fungatur. Ex hac docendi ratione, ex hoc inutili dictandi labore conficiuntur a discipulis magni illi, variaeque doctrina referti Commentarii, haud ita multo post deferendi

in vicum, vendentem tus et odores.

Et piper, et quidquid chartis amicitur ineptis.

Neque vero boni illi viri, quibus istam docendi rationem in Scholis adhibere placet, intelligere, aut curare videntur, quam parum hac re iuuentutis, ipsorum institutioni concredita, rationibus consulatur. Nam, ne dicam, quam multum temporis ista dictandi opera perdat, quam parum accurate ista dictata a iuuenibus, rudibus plerumque et leuibus, excipiantur calamis: istud docendi genus in scholis incommodi habet hoc, quod ea re socordiae, desidiaequae veluti aditus munitur. Multi enim discipulorum, qui vultum, speciemque excipientium calamis dictata praeferunt, mente et cogitatione interim hinc inde vagantur: alii scribendi laborem pertaesi horulam, qua e scholae tanquam carceribus emittantur, pandiculantibus auriculis expectant, et interea in vtramque aurem secure dormientes, et equos, canes, aliasque reculas somniantes alte stertunt. Qua quidem re quis non intelligit, diligentem, acremque attentionem, quauis arte in leuis animi iuuenibus et excitandam et retinendam minui ac sopiri. Quid? quod hoc docendi genere in scholis et ingeniorum explorandorum ratio negligitur, et vis iudicii, quouis modo acuenda sensim debilitata frangitur. Ne illud dicam, multa et forte pleraque, si latine dicentur,

ctentur,

ctentur, a plerisque discipulorum ne intelligi quidem, adeo, vt ista latine dictata, si praeceptor ab omnibus intelligi velit, ab eo rursus germanice, cum magna temporis iactura, sint dicenda. Neque prudentius rationes suas ii scholarum magistris instituunt, qui dictando quidem totas horas non confumunt, in tradendis, docendisque tamen rebus continua perpetuaque oratione ita vtuntur, vt non subinde discipulos, in historia etiam tradenda (in qua tamen aliqua exceptio datur) interrogent, et explorent, qua animi attentione, quae tradita sunt, acceperint, retinuerintne memoria, an per oscitantiam elabi passi sint, intellexerintue omnia, an minus? Nam non omnes discipuli ita liberaliter sunt doctrina instituti, nec eum iam iudicandi vsum habent, aut ingenio tam acri sunt, vt, quae semel in continenti orationis docentis cursu audierint, mente assequi, memoriaque fideli retinere possint. Nam, vt bene ²⁵⁾ CICERO in re fere simili dicit: *Cum fertur, quasi torrens, oratio, quamuis multa cuiusque modi capias: nihil tamen teneas, nihil apprehendas, nusquam orationem rapidam coerceas.*

Sed explosa hac docendi ratione, a quibusdam consilio non sane salubri in scholas introducta, susceptae rei ratio postulat, vt, docendi rationem Socraticam institutioni iuuentutis in scholis perquam accommodatam esse, ostendamus. Quae qualis fuerit, vt eo facilius intelligi, diiudicarique possit, e PLATONE praecipue, a cuius quippe lectione adhuc recentes sumus, non tam expressa, quam adumbrata a nobis iam ostendatur. Iam primum, satis constat, eam aetatem, qua Socrates vixerit, magnum tulisse prouentum Sophistarum, h. e. hominum, qui ostentationis aut quaestus causa philosophabantur, in quibus nihil erat nisi ieiuna verborum concertatio. Nam istorum hominum oratio in veris et vtilibus tradendis nimis muta erat, in nugulis autem venditandis nimium loquax. PLATO (in Sophista p. 218.) hos vaniloquos et nugiuendulos homines eleganter ἀσπαλιευτάς vocat, quoniam, vti piscatores hamo pisces, sic hi verborum illecebris et veluti decipulis incautos iuuenes decipere, nummisque emungere solebant. Hi Sophistae, vana magnae doctrinae opinione de se capti, fastusque tumore turgidi sibi ipsis, et aliis, huius vanitatis fraude deceptis, persuadebant, se non

modo

²⁵⁾ de Finib. II, 1.

modo de re, de quacunque quis vellet, in vtramque partem ex tempore disputare, sed dicendo etiam efficere posse, vt res iusta iniusta, iniusta autem iusta videretur. Hanc istorum hominum vanitatem, quam PLATO ironice *παργουρασιασιν τέχνην* vocat, Socrates cum multis aliis PLATONIS locis, tum in Euthydemo (p. 272.) his verbis perstringit: *ἔτω δεινὸν γεγόνατον ἐν τοῖς λόγοις μάχεσθαι τε καὶ ἐξελέγχειν, τὸ αἰεὶ λεγόμενον, ὁμοίως εἴαν τε ψεῦδος, εἴαν τε ἀληθὲς ᾗ*. *Tanta dicendi facultate valent, ut et decertare, et id, quod in medium affertur, refutare possint, siue verum sit, siue falsum.* In qua quidem doctrinae suae, facultatisque dicendi ostentandae vanitate non tam discipulorum vtilitatem spectabant, sed sequebantur potius hoc, vt et magnam sui admirationem excitarent, et magnam pecuniae vim corraherent, quod PLATO (in Sophista p. 243.) eleganter vocat τὸ σφέτερον περᾶνεν h. e. *intus sibi canere*, nulla discipulorum ratione habita. Non pigebit, locum *) PLVTARCHI, paullo longiorem illum quidem, rei praesenti autem perquam convenientem, huc transferre: *Ὡς περ ἐκ τύχης τότε φορὰν γενέσθαι συνέβη Σοφιστῶν ἐν τῇ Ἑλλάδι καὶ τέτοις οἱ νέοι πολὺ τελέοντες ἀργύριον, αἰματος ἐπληρῆντο καὶ δοξασφίας, καὶ λόγων ζήλου, χολῆν καὶ διατριβὰς ἀπράκτους ἐν ἔρισι καὶ φιλοτιμίαις ἄγοντες, καλὸν δὲ καὶ χηρῆσιμον εἶδ' ὅτι ἐν*. *Ea Socratis aetate quasi fortuna quadam magnus erat prouentus Sophistarum in Graecia, quibus adolescentes magnam pecuniae vim persoluentes implebantur arrogantia, et scientiae opinione, studioque disputandi, ita, vt otiosi et inertes in rixis contentionibusque ambitiosis tempus tererent.* Horum Sophistarum minus acutorum, merasque nugulas vendentium, discipulos PLATO (in Sophista p. 247.) eleganter *σπαρτῆς καὶ αὐτόχθονας* h. e. *terrae satū editos, e terraque prognatos* vocat. Princeps istorum insincerorum fallaciumque Sophistarum fuit Protagoras, vel e PLATONIS Dialogo, illius nomine insignito, notus, et CICERONI (de Natur. Deor. I, 23.) *Sophistes illis temporibus quam maximus dictus, de quo GELLIVS (Lib. V, 3.) Is Protagoras insincerus quidem Philosophus, sed acerrimus Sophistarum fuit: pecuniam quippe ingentem quum a discipulis acciperet* **) annuam; pollicebatur

*) in Quaest. Platon. p. 1839. Edit. Stephan.

**) LAERTIVS in eius vita p. 250. Edit. Londin. C. minas a singulis discipulis exegisse tradit, vbi v. MENAGIVS.

id docere, quam industria causa infirmior fieret firmior. Quam rem graece ita dicebat, τὸν λόγον ἥττω ποιῶν. LAERTIVS (in vit. Protag. p. 250.) de eodem: Πρῶτος ἔφη δύο λόγους εἶναι περὶ πάντας προγράματος ἀντιμεμῆνες ἀλλήλους. Primus dixit, de omni re duos esse sermones sibi oppositos, h. e. vnamquamque rem dicendo, disputandoque nunc veram, nunc falsam reddi posse. Iam, Georgium Leontinum, CICERO (de Fin. II, 1.) refert, primum ausum esse in conuentu poscere quaestionem, id est, iubere dicere, qua de re quis vellet audire. Audax, subiungit CICERO, negotium: dicerem impudens, nisi hoc institutum postea translatum ad Philosophos nostros esset. Sed et illum, quem nominavi, et caeteros Sophistas, vt e PLATONE intelligi potest, lufos videmus a Socrate. cf. idem de Orat. I, 22.

Socrates igitur cum animaduertisset, istis captioforum Sophistarum artibus inhonestis iuuenes non pecunia solum fraudulenter emungi, vanaque de se disputandique facultate sua persuasione turgidos insolenter sese vbique iactitare, sed tempus etiam vanis istis, ambitiosisque altercationibus perdi, animosque corrumpi, et bona ingenia deleri: rem suscepturum se esse putabat, vti iuuenum vtilitati accommodatam, ita totius Reipublicae rationibus frugiferam, si et istam Sophistarum vanitatem arrogantiāque conuinceret, iuuenesque, illorum sequaces, et inani fastu quodammodo ferocientes, reprimeret, et a peruersa illa via, qua ad laudem grassabantur, retractos in viam regiam, et ad studium cognoscendarum rerum ad bene beateque viuendum necessarium perduceret. Omnis enim eius oratio cum in virtute laudanda, tum in omnibus hominibus ad eius studium cohortandis consumebatur. cf. CICERO in Bruto c. 8. Reiecta enim ista inutili, exilique disputandi ratione, ab intelligentia aliorum longe remota, et a sensu disiuncta, explosisque istis Sophistarum nugis, et spinosis quaestiunculis, disputando in vtranque partem agitatatis, omnem disputationem suam consumebat in eo, vt doceret, quid pium esset, quid impium, quid honestum, quid inhonestum, quid iustum, quid iniustum, et omnino, quae faciendae, quae omittendae essent, auctore XENOPHONTE Memorabil. Socrat. I, 1. Sed iuvat ipsum Socratem apud *) PLATONEM hac de re audire: Ὅυδὲν ἄλλο πρᾶτῶν ἐγὼ περιέρχομαι ἢ πείθων ὑμῶν καὶ νεωτέρους, καὶ πρεσβυτέρους, μήτε σωματῶν ἐπιμελέσθαι,

*) in Apol. Socrat. p. 30.

λέειν, μήτε χρημάτων πρότερον, μήτε ἄλλε τιος ἔτω σφόδρα, ὡς
 τῆς ψυχῆς, ὅπως ὡς ἀρίστη ἔσται, λέγων, ὅτι ἐκ ἐκ χρημάτων ἡ ἀρετὴ
 γίνεται, ἀλλ' ἐξ ἀρετῆς χρήματα, καὶ τὰ ἄλλα ἀγαθὰ τοῖς ἀνθρώποις
 ἅπαντα, καὶ ἰδία, καὶ δημοσία. Coetus hominum oboeo, nulla alia re
 occupatus, nisi hac, ut vobis iuuenibus, senibusque persuadeam, neque cor-
 poris, neque facultatum prius, nec cuiusquam alius rei aequae magnam
 curam, rationemque esse habendam, ac animi, ut quam optimus euadat,
 hac quidem causa addita, quod e diuitiis non oriatur virtus, sed e virtu-
 te diuitiae, et alia bona omnia in homines cum totius ciuitatis, tum sin-
 gulos redundent. Ne autem haec nimis magnifice, et paullo ar-
 rogantius in suam ipsius laudem dixisse videatur Socrates:
 age, testem in hanc rem excitemus CICERONEM, quem nemo
 ob aliquam cupiditatem, partiumque studium vanitatis suspe-
 ctum in hac quidem re habere possit. Is igitur, a Socrate *)
 narrat, omnem, quae est de vita et moribus, philosophiam mansisse.
 Idem **) alio loco: Socrates mihi videtur, id quod constat inter omnes,
 primus a rebus occultis, et ab ipsa natura inuolutis, in quibus omnes an-
 te eum philosophi occupati fuerunt, auocauisse philosophiam, et ad vitam
 communem adduxisse, ut de virtutibus et vitiis, omninoque de bonis re-
 bus et malis quaereret. In eandem sententiam ***) idem alibi;
 Socrates primus philosophiam deuocauit e caelo, et in urbibus collocauit,
 et in domos etiam introduxit, et coegit de vita et moribus, rebusque bonis
 et malis quaerere. Nam, vti est, ita persuasum sibi habebat, adul-
 terinae doctrinae, scientiaeque vanae signum haud fallax esse
 hoc, si disputatio in rerum vanarum quaestiunculis consuma-
 tur, et verba tantum adhibeantur, nulla autem vtilitas ad vi-
 tam, bene beateque instituendam redeat, ut ipse apud ****)
 PLATONEM dicit. Vere sane! Quid enim, vt CICERO de Orat,
 I, 12. ait, tam furiosum est, quam verborum quam optimorum
 sonitus inanis, nulla subiecta sententia aut scientia? Commo-
 distimam autem, et efficacissimam istorum Sophistarum con-
 vincendorum rationem ipse Socrates apud *****) PLATONEM
 docet esse hanc, vt illos interrogationibus, dubitationibus, et
 exceptionibus (ἀντιλήψεις et ἀπορίας PLATO in Sophista p. 231.
 vocat) subinde factis confunderet, et ex ipsorum responsio-
 nibus, quas eliciebat, et veluti extorquebat, simplici conclu-
 sione

B 2

*) Disputat. Tuscul. III, 4. **) Academ. Quaest. I, 4. ***) Disputat.
 Tuscul. V, 4. ****) in Protag. p. 361. *****) in Hipp. min. p. 364.

fione tam ridicula, tam absurda conficeret, vt sententiarum, dictorumque vanitas dilucide appareret. Et in hac ratione disputandi contra, nihil aliud sequi videbatur, quam vt vnice falsa refutaret, cum re ipsa doceret vera. Qua quidem in re qua vsus fuerit arte, nunc paullo curatius est dicendum. Scilicet Socrates, qui in disputando ironia, dissimulantiaque vti, et de se ipse detrahere solebat, plus in disputatione tribuere videbatur iis, quos refellere vellet, et his dissimulationis integumentis veluti inuolutus, nihil aliud spectabat, quam vt crassam Sophistarum inscitiam conuinceret, stultitiamque loquacem comprimeret, et disputando in vtramque partem, interrogandoque eliceret, et quasi exprimeret id, quod aut verum esset, aut ad id quam proxime accederet. Cum itaque in disputando aliud diceret, aliud sentiret: libenter vti solebat ea dissimulatione, quam Graeci *εἰρωνείαν* vocant, qua aliis opinionem afferebat, se nihil scire, atque ab iis, quod nesciret, doceri velle. Hoc consilium suum ipse Socrates apud *) PLATONEM aliquo loco aperit, vbi docet, quare dissimulancer et dubitanter disputet, suaque arte obtetricia vtatur. CICERO, **) *haec est, vt scis, vetus et Socratica ratio, contra alterius opinionem disserendi. Nam ita facillime, quod verosimillimum esset, inueniri posse Socrates arbitrabatur.* Hac disputandi ratione cum Socrates suam ipse sententiam tegeret: errore alios leuabat, et in omni disputatione, quid simillimum veri esset, quaerebat, vt ***) CICERO alio loco tradit. Inde est, quod ****) ARISTOTELES dicat, Socratem interrogasse, non respondisse, confessumque esse, se nihil scire. Hac disputandi ratione cum contra alios, tum Sophistas imprimis vtebatur. Nam contra eorum sententias subinde dubitationes graues, nec facile tollendas movebat, interrogationumque nec opinarum veluti vinculis ita irretitos tenebat, vt, quomodo se expedirent, non haberent, et ea in percunctando iis proponebat, ea in sermone tractabat, vt, quid dicerent contra, non inuenirent: quod PLATO (in Sophista p. 135.) *ἀθυμῆν περὶ τὸν λόγον* vocat. Cum autem illa dissimulantia sua, et interrogandi ratione non nisi

*) in Theage sub fin. p. 210. **) Disputatt. Tusc. I, 4. ***) Disputatt. Tusc. V, 4. ****) Elench. II, 34. *Σωκράτης ἡρώτα, ἐκ ἀπεκρίνετο ὡμολόγησε γὰρ μὴ εἰδέναι*

id spectare videretur, vt verum ab iis doceretur: ipse callida ista disputandi contra ratione, vanitate sententiae illorum conuicta; verum docebat, ex ipsorum saltem responsonibus tandem eliciebat et conficiebat, quod aut verum esset, aut ad id quam proxime accederet. Vidit enim plus, quam quantum acies ingeniorum Sophistarum intueri potuit.

Haec docendi ratio Socratica, qua omnia per dissimulati-
onem intelligendi dicuntur, PLATONI (in Sophista p. 134.) μα-
θημάτων εἰς ψυχὴν φύσει καὶ σπορῶν dicta, qua aptis interroga-
tionibus, et responsonibus, alternis vicibus factis, animorum
sensa, tanquam foetus, in lucem producantur, venuste rei-
que conuenienter PLATONI variis locis *μαιεία* f. *obstetricatio* di-
citur, quia, vti obstetricium ope, parturientibus adhiberi so-
lita, foetus, ita hac commoda et interrogandi et responden-
di ratione animi sensa, tanquam mentis foetus, eliciebantur.
Scilicet ex vniuersa doctrina disciplinaque Socratis, vt pa-
tet e PLATONIS imprimis Theaeteto, intelligitur, eum fuisse
opinionis huius, vt putaret, Sapientiam ad veram rerum cogni-
tionem, scientiamque comparandam necessarium esse hoc, vt
sit *) *ἕξεταστικός* h. e. non omnibus temere assentiatur, sed
omnia diligenter exploret, donec certam, minimeque vagam
aut fallacem cognitionem sollerti studio sit consecutus.

Putabat enim, rerum ipsarum quasi semina hominum
animis, diuino aliquo dono ac munere esse insita, vnde illa-
rum cognitio in nobis coalescat: haec autem semina, indu-
stria et sollerti praeceptorum arte exculta, ad veram rerum
cognitionem, vsusque rationem reuocari debere, nobis au-
tem opus esse aliqua veluti obstetrice, vt veri animi foetus
ab adulterinis h. e. verae opiniones a falsis discerni possint.
Et hanc quidem tutissimam, certissimamque viam ad rerum
diuinarum, humanaeumque cognitionem consequendam esse
arbitrabatur. Hac autem *μαιεία* f. *obstetricia arte* ad hos veros
animorum veluti foetus educendos cum se valere diceret:
se ipse vocabat *μαιευτικόν* h. e. eum, cuius opera illa rerum
semina, hominum animis insita, excolerentur, et ad veram
rerum cognitionem perducerentur. Ista enim *μαιεία* est illa

B 3

disci-

*) Vid. PLATO in Theaet. p. 160 sq. vbi de foetu et partu translate sumto
elegans Allegoria est. cf. in eod. p. 220.

disciplina, illa docendi ratio, qua commodis interrogationibus, et, quae inde eliciuntur, responſionibus animorum noſtrorum ſenſa, tanquam foetus in lucem *) producuntur. Huius artis *μαιευτικῆς* facultatem cum ſe habere Socrates profiteretur: Se ipſum apud **) PLATONEM filium *Μαίαιος* h. e. *obſetricis* valde generoſae et magnificae, docendique artem ſuam *τέχνην μαιευτικὴν* vocat. Inde translata dicendi ratione, et ea perquam venuſta *ὠδίεν* ſ. *parturire* apud ***) PLATONEM dicitur, *qui verae rerum vtilium cognitionis comparandae ſtudioſus eſt, alterius autem opera adiutrice, veluti obſetricae aliqua, in ea re opus habet.* Eiuſdem venuſtatis illae translatae loquendi formulae apud †) PLATONEM ſunt: *Ἡ ἔν κούμῆν τι καὶ ὠδίωμεν περὶ ἐπιτήμης, ἢ πάντα ἐκτετόκαμεν.* Num igitur adhuc, quae ad verae ſcientiae naturam conſtituendam, definiendamque pertinent, nobis anquirenda et inuenienda ſunt, an omnia iam inuenimus? et mox opinionones vanas et falſas vocat *ἀνεμαῖα ἀνάξια τῆς τρεφῆς* h. e. *non dignas, quas quis accipiat et foueat*: vti is, qui alios multas res docendi cupidus eſt, *ἐγκύμων* ſ. *praegnans*; *parturiens* venuſte ibidem dicitur. Sed haec *ὡς ἐν παρόδῳ*, vt iuuenes harum literarum ſtudioſi quendam quaſi guſtum Platonicae venuſtatis concipiant, per totam orationem diffuſae, qua variare eam, et verborum, ſententiarumque veluti inſignibus diſtinguere ſolet. Socrates igitur explorabat animi ſenſa, et principia dubitandi, tanquam dolores partum praecurrentes, ſuggerabat, iisque mox aduerſarios liberabat, perducens ad verum cognoscendum, animoque veluti parturienti obſetriciam operam praestabat. Inſignis in hanc rem locus ††) PLVTARCHI eſt: *Οὐδὲν ἐδίδασκε Σωκράτης, ἀλλὰ ἐνδιδὸς ἀρχὰς ἀπαραιῶν, ὡς περ ὠδίαν τοῖς νέοις, ἐπήγειρε καὶ ἀνεκίλει καὶ ζυνεξήγε τὰς ἐμφύτες νοήσεις καὶ τὸ το μαιευτικὴν τέχνην ἀνομαζεν, ἐκ ἐντιθέσαν ἔζωδεν, ὡς περ ἕτεροι προσηποῖεντο, νὲν τοῖς ἐντυγχάνεσιν, ἀλλ' ἔχοντας οἰκῆον ἐν ἑαυτοῖς, ἀτελῆ δὲ καὶ συγκεχυμένον τῷ τρεφοντος ἐπιδεικνύσαν.* Socrates nihil docuit, ſed principia dubitandi, tanquam dolorem partus antecedentes, adoleſcentibus ſuggerens, exſiſtitauit, atque una confirmauit inſitas notitias, hanc artem obſetriciam

*) cf. in hunc rem PLATO in Theaet. p. 148. et in Sophiſt. p. 217 ſqq. **) in Theaet. p. 149. ***) in cod. Dialogo p. 148. †) in cod. ſub ſin.

††) in Quaest. Platon. p. 184o.

am appellavit, quae non, ut alii profitebantur, intelligentiam auditoribus extrinsecus ingereret, sed demonstraret, eam ipsis esse instam, imperfectam tamen et confusam, et cuiusdam adiutoris, tanquam nutriti, indigentem. Ipse Socrates apud PLATONEM (in Theaet. sub fin.) docet, hanc *μαιεύειν* s. obstetricandi facultatem suam non foeminis, sed animis iuuenum, et quidem ingenuorum, et honestatis, verique cognoscendi amanti-um, inferuire. Hac vero arte sua Socrates efficere studuit non solum hoc, ut alios, vana scientiae, doctrinaeque suae opinione turgidos compefceret, sed etiam modestius de se sentire doceret, ad iudicandum acutiores, et ad pronuntiandum, decernendumque in vtramque partem cautiore redderet, verbo, ad verum inueniendum, diiudicandumque, et a falso discernendum manu quasi duceret, vt ipse apud PLATONEM l. c. non obscure docet.

Vel vno in hanc rem exemplo, e PLATONE ex innumeris petito, defungamur, vnde appareat, quomodo Socrates hac sua arte *μαιεύειν* fuerit vsus, h. e. graues dubitationes mouendo, et aptis interrogationibus responsiones aliorum eliciendo cum falsum refutarit, tum ad verum cognoscendum perduxerit. In Platonis Dialogo, nomine Euthyphronis insignito, instituitur de re omnium grauissima, omnique veneratione dignissima, Religionem puta, disputatio. In quo quidem Dialogo, quidam Euthyphro, ariolus, qui veram Religionis cognitionem habere sibi persuaserat, introducitur, Socrati aperiens, se suum ipsius patrem in iudicio homicidii esse postulaturum, Religionis, vti ipse dicebat, amore, studioque permotum. Socrates, probe gnarus, quam saepe, quam grauer homines honesta specie, et honorifico obtentu Religionis peccent, inuidientiaeque suae, et odio nomen Religionis obtendant, vel coeco, maleque sano studio eius auferantur, oblata hac occasione commoda, disputationem de Religione cum Euthyphrone ingreditur. In cuius rei disputatione versatur ita, vt more suo *εἰσαγεύόμενος*, intelligendique dissimulatione vtens, interrogando tres definitiones religionis ex Euthyphr. eliciat, quas, in vtramque partem disputando, (*ἀνο καὶ κατὰ λέγειν* PLATO vocat) mancas, imperfectas, falsasque ostendat, ipsum

ipsum autem Euthyphronem huius rei, cuius verissimam, certissimamque cognitionem habere se credebat, imperitissimum arguat, propositisque quaestionibus, et quas elicuerat, responsionibus, motisque contra eas dubitationibus doceat, Religionem esse veram sapientiam, cognitionemque Dei, et vitae Reique publicae fundamentum. Sed de Religionis indole natura plenius et copiosius cum alibi, tum II et III Libro de Republica apud PLATONEM disputat. Iuuat vel vnum exemplum Socraticum, apte interrogando aduersarium conuincendi, et ad veri cognitionem perducendi, subiungere, laudatum ARISTOTELI (Rhetoric. III, 8.) vbi de commoda et artificiosa interrogandi ratione exponit, qua alter ex sua ipsius responsione intelligit, quid absurdi ex ea sequatur. Σακεδάτης, Μελίτης ἔ Φάσκοντος αὐτὸν Θεὸς νομίζειν, εἰρημεν, εἰ δαιμόνιον τι λέγοι; ὁμολογήσαντος δὲ, ἤρετο, ἢ ἔχ' οἱ δαίμονες ἦτοι Θεῶν παῖδες εἶεν, ἢ Θεῶν τι; Φήσαντος δὲ, ἔστιν ἓν, ἔφη, ὅτις Θεῶν μὲν παῖδας ὀνομαζέμεθα, Θεὸς δὲ ἔ; Socrates, Melito dicente, ipsum existimare, Deos non esse, dixit: num daemonium aliquod esse fateretur? consistente illo, interrogauit, annon daemones aut Deorum filii, aut diuini quid essent? Quod cum ille confirmasset: est igitur, inquit, qui Deorum filios esse arbitratur, non autem Deos? Vbi alludi intelligitur ad nobile illud multisque multorum veterum sermonibus celebratum Daemonium Socratis, quod se habere, prae se ferebat. Quae res occasionem dedit eius inimicis calumniandi et clamandi, quos Deos ciuitas coleret, eos habere Socratem contemptui et rifi, nouosque adeo Deos introducere. Sed pleni sunt horum exemplorum Dialogi Platonici, et Xenophontei, e quibus dilucide intelligitur, quae ratio docendi Socratica fuerit.

Nos igitur non poenitet, huius esse sententiae, vt putemus, hanc docendi rationem perquam accommodatam, fructuosamque esse iuuenibus in schola aliqua publica instituentis. Nam primo, hac docendi ratione attentio iuuenum, quorum cogitationes ob leuitatem animi saepe hinc inde ablatae vagantur, mire excitatur, excitata autem retinetur, praesertim, si Praeceptor hunc morem, ad alia quoque accommodatum, introduxerit, vt non discipulos suo quemque ordine respondere iubeat, neque vni interrogando diu immoretur, sed interrogationibus nunc hunc, nunc illum excitet,

et

et quasi opprimat, ita vt omnes et finguli, veluti in aliqua specula positi, semper attenti esse debeant, cum nullus ne momento quidem securus sedere possit, annon sit ad propositam quaestionem respondendum, et ratio reddenda eorum, quae sint dicta.

Neque vero hoc vnum commodum est, quod haec docendi ratio habet, sed multa alia etiam affert. Nam occasionem commodissimam Praeceptorum praebet, ingenium cuiusque discipulorum explorandi, et cognoscendi, quo vsque in literis colendis progredi possit, et qua arte excitandum, acuumque sit. Nam omnes omnino discipulos in coetu praefertim paullo frequentiori, atque adeo in magna ingeniorum diuersitate eadem doctrinae institutionisque ratione continere velle, id vero est cum ratione ipsa quodammodo insanire. Quod si facere institueris,

Infelix operam perdas, vt si quis asellum,

In campo doceat parentem currere fraenis.

Sunt enim aliis animi, ingeniique motus quidam celeres, et ad iudicandum acuti, et ad arripiendum faciles, et ad retinendum firmi atque diuturni, verbo, sunt quidam ad res traditas percipiendas cognoscendasque tam habiles et apti, ita ornati, ut non nati, sed a Natura ipsa ficti videantur: alii contra ea, ingenio et acumine tam hebeti sunt, vt tradendi videantur vno opere incudem diem, noctemque tundentibus, qui omnes tenuissimas particulas, atque omnia minima mansa, vt nutrices infantibus, in os inferant. Haec igitur ingeniorum diuersitas cognita commodam occasionem, facultatemque Praeceptorum praebere potest, instituendi, docendique rationem cuiusque discipulorum captui conuenienter accommodandi, ita vt, grauissimam D. PAVLLI auctoritatem secutus, quodammodo *omnibus omnia fiat*, h. e. se, suamque docendi rationem ad cuiusque vires ingenii componat.

Iam quid aptius accommodatiusque esse potest, hac per interrogandi, respondendique vices instituta, ratione docendi ad claras distinctasque rerum notiones animis discipulorum informandas, percunctando nempe, an, quid responderint, intelligant, h. e. an ea, quae dixerint, aliis verbis, iisque perspicuis, nihil neque obscuritatis, neque ambiguitatis habentibus,

C

expri-

exprimere possint. Nam iuuentuti, recte cogitando nondum adfuetae, nihil vsitatius est, quam hoc, vt, quoniam res ipsas a verborum fonitu discernere nondum didicere, quae dicunt, ea etiam intelligere se credant. Hoc vitium, quod cum ipso paene lacte nutricis in tenerrima aetatula fluximus, qua prius loqui, verbaque effutire consueuimus, quam cogitare, verborumque vim et potestatem ab eorum sono discernere didicimus, hoc, igitur, vitium cum ipsis annis alitur, diuturnitateque temporis ita confirmatur, vt non nisi cum magno, difficile labore tolli radicitusque euelli possit. Et haec quidem praecipua causa est, quod iuuenes non solum multa et dicant, et scribant, quae iussi dilucidius exprimere, fateri coguntur, se ipsos non intelligere, sed etiam, quia rem ipsam, vimque verborum ab ipsorum sono discernere non possunt, eam sibi opinionem, persuasionemque perquam fallacem induant, vt multa iam se scire credant, cum saepe nihil fere intelligant. Quam commodam igitur facultatem Praeceptor habet, disciplinae suae alumnos, hac Socratica docendi ratione ita assuescendi, vt cogitare, verborumque sonum a vi, potestateque iis subiecta mature discernere, rerumque notiones claras distinctasque animo informare discant suo.

Denique haec docendi ratio, per interrogandi respondendique vices instituta, commodi affert hoc, vt iudicium iuuenum acuatur, h. e. Indies maiorem facilitatem facultatemque de rebus vel lectis vel auditis recte sentiendi iudicandique consequatur, cum saepius cogitando, quid, et quomodo respondendum sit, ingenii, iudiciiue vires sint intendendae, et hac consuetudine crebra sensim maior facilitas recte cogitandi iudicandique acquiratur.

Hic vero illud attinet dicere, prudentis callidique Praeceptoris esse, tam apte et commode interrogare, vt discipulis recte respondendi facultas suppeditetur, et, quid respondendum sit, quasi subministretur. Quod quidem interrogandi artificium, non minus fructuosum, quam difficile, vti magnam prudentiam, ingeniumque disciplina, bene, apteque interrogandi, subactum, ita magnum rerum vsum, et peritiam requirit. Ad huius rei facultatem autem consequendam perquam multum conferet diligens, et curiosa Platoniorum, Xenophonto-

teorumque Dialogorum lectio, in quibus quippe illa eximia docendi ratio Socratica non adumbrata, sed viuis quasi coloribus expressa animaduertitur. Haec autem docendi ratio, alternis vicibus interrogando respondendoque instituta, a Socrate profecta, magno cum fructu adhiberi etiam possit in instituendis rudioribus, quibus initia, et prima elementa doctrinae christianae traduntur, quo instituendi munere uti imperitis nihil facilius, ita peritis nihil difficilius videtur. Quid enim *Catechesis* aliud est, quam illa docendi ratio, quae rudiores perpetuis interrogationibus responsionibusque tentare iubet, donec claras distinctasque rerum notiones, accuratamque veri cognitionem consequantur? Cuius institutionis cum auctor fuerit Socrates: bene sibi, discipulisque etiam suis consulenter ii, qui artem per interrogationes erudiendi profiterentur, si eius disputationes, cum aliis institutas, a PLATONE autem, et XENOPHONTE literarum monumentis consignatas, diligenter legendas sibi putarent. Neque vero haec mea vnus sententia, sed multorum aliorum, eorumque intelligentium consentiens vox est. E quibus vel vnum MOSHEMIVM, τὸν ὄντιν ἀγίων, virum et diuinarum, et humanarum literarum consultissimum, testem excitabimus, vt, quae diximus, iis auctoritatem addat *). Is igitur ita: *Portenta forte nonnullis hic narrare videor, qui SOCRATEM institutionis Catecheticae parentem et auctorem facio: sed hi erunt fere, qui, morum et institutorum veterum expertes, ex hodierno potius vocabulorum usu et potestate res, quam ex rebus vim vocabulorum aestimant. Ego quidem in eam prope sententiam venio, multos longe aptiores fore ad veri Catechetae munus obeundum, si Socratis disputationes, a Platone et Xenophonte literis consignatas, assidue legent, atque praeclaram eius humanam sapientiam, tradendique rationem ad res diuinas et coelestes prudenter et prouide accommodarent. Nam, quod cum animi quadam molestia dico, haud pauci eorum, qui magnos se fingendae iuuentutis christianae artifices esse credunt, ne intelligunt quidem, quidnam illi propositum esse debeat, cuius est quaerendo et respondendo teneras mentes ad pietatem, diuinaeque sapientiae cognitionem formare, et in quo officium hominis consistat, qui Catecheta iure suo vocari vult.*

Sed nunc indicandum est consilium, quo commoti ad hanc prolationem scribendam animum appulerimus. Scilicet

C 2

pro-

*) in Institutt. Hist. Christ. maior, p. 243.

producendi sunt VI honestae bonaeque spei iuvenes, qui in memoria diei Illustris Scholae nostrae Natalis grato pioque animo recolenda suae qualiscunque facultatis dicendi specimina edent. Siluulam autem his oratiunculis recitandis congestimus e BASILII M. libello praestantissimo, lectuque dignissimo, et omnibus theologiae cultoribus, qui literas humanas ob ignorantiam magnifice contemnunt, diligentissime commendando, *de ratione, qua graecorum Poetarum, Oratorum, Philosophorum, Historicorum, aliorumque profanorum auctorum scripta fructuose utiliterque legi debeant*. Dicent autem, quo sedent ordine:

- I) JOANNES CHRISTIANVS HENRICI, Niederfrohna-Misnicus. *De necessitate, literas humanas cum diuinis theologiae studio coniungendi.*
- II) JOANNES GOTTLIEB KOEPPING, Schaitza-Misnicus. *De necessitate studii literarum humanarum doctrinis theologicis rite percipiendis praemittendi.*
- III) GOTTHELFF FRIDERICVS KOEPPING, Schaitza-Misnicus. *De utilitate literarum sacrarum studio e veterum graecorum, latinorumque scriptorum lectione capienda.*
- IV) CHRISTIANVS GOTTHELFF VHLICH, Bitterfeldio-Saxo. *De utilitate literarum sacrarum studio e lectione veterum graecorum, latinorumque Poetarum capienda.*
- V) GOTTFRIED HENRICVS SCHOENFELDIUS, Schoenauensis-Misnicus. *De utilitate literarum sacrarum studio e lectione veterum historicorum graecorum, latinorumque capienda.*
- VI) AVGVSTVS GOTOFREDVS CLAVSNIZERVS, Schirmitio-Saxo. *De utilitate literarum sacrarum studio e lectione veterum graecorum, latinorumque Oratorum capienda.*

Ad quos benivole audiendos vt a. d. XIV. Septembr. ipso die Scholae nostrae Natali hora IX. in Auditorio nostro maiori frequentes conueniant, qui bonis literis, nostroque Moldano adeo fauent, humanissime et officiosissime rogamus.

P. P. in Illustri Moldano a. d. VI Septembris A. R. S.

MDCCLXVIII.




QK
514

Yb
2065

PROLVSIO
DE
DIRATIONE
CA INSTITVTIONI
IN SCHOLIS PERQVAM
COMMODATA.

PRAEMISSA
MATIONIBVS VI.
IN ILLVSTRI
ECTORALI GRIMANA
D. XIV. SEPTEMBR.
HOLAE NOSTRAE NATALI
ORA IX. HABENDIS
IENDAS QVAM HVMANISSIME
INVITAT
S TOBIAS KREBS
RECTOR.

LIPSIAE
RIS BREITKOPFIIS.



B.I.G.

Farbkarte #13

Inches
Centimetres